Prouincia Aphrica stolata stat, una manu globū tenens, altera cornucopia, pedis dextri primoribusq digitis humerum uiri (hic senex Nilum refert, rigente barba, Niliaca herba coronatus, nudus humi desidens, urnæ inuersæ dextro submixus cubito, læua Typham tenens herbam) talo marginem extimam rostri nauis, cuius supra catastromata equus ferox ac generosus deuolare uidetur. Post Heroinam Crocodilus uasti corporis assurgit. Inscriptio . . . . R. A. infrà . I. L. S. Nummū hunc æneum uidi Mantuæ, apud Iulium Romanum.

In unā parte.

45. Ptolomeus ac Cleopatra sese mutuò obtuentur, disparibus tamen ornatibus. Namq; hæc diademata, capillis undatim intortis, cuius à ceruice uelum prolabens, in humeros pectusq; recidit, ille radiatus ac palliatus est. Inscriptio cuiq; peculiaris sua addita. PTOLOMEVS R. ET CLEOPATRA REGINA ÆGIPTI.

In altera.

Concordiæ deæ imago cephalica est, dextrorsum defixo oculo, tutulum præter, etiam laurea corōa reuincta, ac in auri prætiosa ornata, capillo in nymbi formam conuoluto. Inscriptio deleta . . . P. A. Nummum hunc æneum memini me uidisse Romæ, apud D. Alexandrum Coruinum.

In una parte.

Iul.